



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. An prædium, vel fundus Ecclesiæ in dotem assignatus liber sit ab
omni servitio, tributo, & onere?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

SECTIO II.
De exactionibus.

§. I.

Quanam sint exactiones ordinariae Episcopis seu Prælati Ecclesiasticis à subditis Clericis, vel Laicis præstandae?

Inter exactiones ordinarias Episcopo solvendas numeratur primum portio Canonica, quæ debetur Episcopo, ex quibuscunque legatis piis, quæ sunt Ecclesiis, aut aliis piis locis in diocesi existentibus, de qua *h. lib. tit. 26. sect. 4. §. 4.* Secundò numeratur synodicum, seu Cathedralicum à singulis Clericis certæ Diocesis ad synodum vocandis, in ea, in honorem Cathedræ Episcopalis solvendum, de qua *L. 1. Decret. tit. 31. sect. 3. §. 9.* Tertio numeratur quarta decimarum, & quarta mortuorum, de quibus loco modò citato. Quarto numeratur procuratio præstanda in visitationibus, de qua sectione sequente, ita tamen, ut in his plerisque solvendis attendenda potius sit loci consuetudo, quam iurium decisio, uti jam dictum.

§. II.

An prædium, vel fundus Ecclesiæ in dotem assignatus liber sit ab omni servitio, tributo, & onere?

Liberum debere esse fundum talem ab omni servitio, & tributo temporali, non autem Ecclesiastico, ex *c. 1. h. t.* sumitur, cum fundus talis sit sustentatione ministrorum Ecclesiæ, &

aliis necessariis usibus Ecclesiæ constitutus, nisi talia bona ab antiquo, aut sint tributanea, qui, cum suo jure, quo habent, ad censum ex tali fundo, non cesserint, consequenter, ne in ius præjudicium fiat, in tali fundo doti Ecclesiæ constitui non potest, vel censum onere suo reali fundus hic in Ecclesiæ transit, saltem in eo casu, quo non abundans constituitur, ut omnibus præferendis sufficiat. Quòd si tamen pauper, qui dotem constituit, censum non centum, in dote tali Ecclesiæ constituta, relevasset, maneret quidem ad hoc censum patrono dissolvendum Ecclesiæ obligata, si dos constituta ad tale onus ferendum sufficiens esset, nulla tamen foret talis reservatio, si dos constituta pro iuribus necessariis Ecclesiæ, necessaria foret.

§. III.

Quis possit imponere collectas, & exactiones novas extraordinarias, & quibus illæ imponi possint?

Quamquam secularium possint collectas, & exactiones extraordinarias imponere, viderint Covilla, circa sub pena Canonica, excommunicationis etiam incurrendæ, prohibentur vectigalia, gabelle, & ejusmodi onera illicitè, & sine legitima auctoritate imposita. Utum autem Ecclesiæ, Clerici, & aliæ personæ Ecclesiasticæ, ad hæc extraordinaria onera à Laicis imponi solentur, ex *c. Quamquam, 4. h. t.* satis decideri potest, ubi tales exactiones severè prohibentur, & ex *tit. 47. h. t.*